



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. LXII. De eadem materia jurisdictionis, per Capitulum adversús Episcopum, per transactionem, aut præscriptionem acquisitæ, in causis personas capitulares concernentibus. De confirmatione Summi ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

- utrum hæres possit incipere præscriptionem à persona propria: de qua varia dixerunt Gratian. *discept. forens. cap. 303. n. 15.* Idemque *cap. 52. n. 25.* Honded. *consil. 92. num. 47. lib. 1.* addit. ad Ludov. *decis. 249. num. 6.* Thesaur. *jun. lib. 1. quæst. 41. num. 11.* Tamen quando agitur de successore in Episcopatu, vel beneficio, aliave dignitate Ecclesiastica, in mala fides authoris non nocet successor. Abb. Panormit. *consil. 29. num. 11. lib. 2.* Roman. *consil. 201. n. 5.* Alex. *consil. 50. num. 7. lib. 2.* & *consil. 63. num. 11. & seq. lib. 4.* Tusch. *litter. M. conclus. 22. num. 25. 28. & 51.*
- 12 Et licet transactio illa, de qua superius num. 7. actum est, probaretur in certis casibus in ea contentis observata: quia tamen capita erant separata, & planè diversa à jurisdictionis articulo: ideo observantia illa in diversis capitulis non præjudicaret quoad caput jurisdictionis: Rot. *decis. 354. num. 3. part. 4. divers.* per Gloss. in *cap. si de terra, in verb. tanto tempore, in fin. de privilegiis.*
- 13 Quod multò magis locum habet, quia per observantiam transactioni contrariam, circa illum jurisdictionis articulum jurisdictioni redit ad primævam naturam, nempe ad Episcopum, qui in ea (ut sup. num. 1. dictum est) habet de jure intentionem fundatam, ut dicit Gloss. in *d. cap. si de terra.*
- 14 Et contraria hæc observatio, per quam jurisdictioni redit ad Episcopum, non indiget probatione scientiæ, vel patientiæ capituli: Covarr. in *cap. postessor, in 2. part. relect. §. initium, num. 10.* Ludov. *decis. 249. num. 9.* per text. in *l. si partem, §. si fundum, ff. quemadmod. servit. amitt.* videlicet favore libertatis, & quia redit ad primævum statum. Unde si quis habet privilegium non solvendi decimas, non exigitur ejus scientia, & patientia, ut Ecclesia pristinum jus circa decimarum exactionem recuperet: per text. in *cap. si de terra, de privileg.* ut ibidem bene explicat Covarr. cum notat. in *cap. vigilanti, de prescript.* ubi ostenditur etiam contra ignorantes præscribi, salvo remedio restitutionis in integrum: ex traditis per Thesaur. *decis. 133. & 134.* Aliud esset, si ageretur de præscribendo, vel possessionem acquiritendo in præjudicium ipsius Episcopi: tunc enim illius scientia, & patientia esset probanda. Rot. *decis. 606. n. 14. part. 3. tom. 3. recent.* † & actus aliqui contrarii facti per capitulum in præjudicium Episcopi, cui jam jus erat quæsitum per præscriptionem, nullo modo nocbant Episcopo, tanquam facti post completam præscriptionem: quia completa senel præscriptio non tollitur nisi per aliam præscriptionem completam, l. *nemo, §. temporarios, ff. de reg. jur.* Buxat. *decis. 734. num. 10.*

CAPUT LXII.

De eadem materia jurisdictionis adversus Episcopum, per transactionem, aut præscriptionem acquisitæ in causis personas capitulares concernentibus. De confirmatione summi Pontificis, an, & quando dicatur facta ex certa scientia. Quod non obstantibus exemptionibus Episcopus per modum visitationis habeat morum correctionem. Cui competat jus convocandi capitulum, & privandi absentes, aut delinquentes distributionibus.

- 1 Canonici Ecclesie cathedralis de jure communi subsunt jurisdictioni Episcopi.
- 2 Capitula multa sunt, quæ exemptionem habent à jurisdictione Episcopi, veluti in Ecclesia Burdegalensi, & aliis: sed hoc casu solet Episcopus procedere cum adjunctis per capitulum deputandis. Et an Episcopus de jure communi procedere possit sine capitulo. Quid de consuetudine servetur. Ibidem.
- 3 Propter Episcopi savitiam, capitulum potest petere se eximi ab ejus jurisdictione. Et ex quibus jurisdictioni privative concessa dicatur. Ibidem.
- 4 Jurisdictionem capitulo privative ad Episcopum competere, probatur ex diuturni temporis observantia.
- 5 Transactionibus à sedo Apostolica confirmatis, non censetur per quasvis clausulas generales derogatum.
- 6 Papa capitulum ab Episcopi jurisdictione in totum eximere potest.
- 7 Capitulum exemptioni suæ non præjudicat, quamvis ea usum non fuerit, eo quod existimabat illis transactionibus fuisse derogatum per Concilium.
- 8 Confirmatio dicitur facta ex certa scientia, quando in ea totus tenor privilegij, vel transactionis confirmata, fuit insertus.
- 9 Clausula generales non operantur circa scientiam rei confirmata, sed in contrarium probationem admittunt.
- 10 Quando de Principis voluntate probanda agitur, si ad hoc certa forma non fuit data, sufficit quod de illa quomodocumque legitime constet.
- 11 Ex geminatione confirmationis colligitur illam ex certa scientia factam fuisse.
- 12 Certa scientia Papæ colligitur ex mentione litispendentia facta in rescripto.
- 13 Facilius presumendum est confirmationem factam fuisse ex certa scientia, quando agitur de transactionibus & concordatis, quam si ageretur de statutis confirmandis.
- 14 Papa dicitur habuisse scientiam alicujus negotij, quando illam habuit mediante commissariis ab ipso deputatis.
- 15 Episcopus, non obstantibus exemptionibus, potest solus procedere contra capitulares quoad morum correctionem, per viam visitationis.
- 16 Non tamen sub prætextu visitationis potest procedere judicialiter, nec formare processum.
- 17 Capitulum habet ius cogendi per viam subtractionis distributionum.
- 18 Convocare potest Episcopus capitulum, quando non agitur de ipsius interesse.
- 19 Episcopus non potest convocare capitulum in casibus, in quibus ipse index esse non potest.
- 20 Episcopus licet in certis casibus possit convocare capitulum, in eo tamen votum dare non potest.

Casus istius capituli non modò diversus, sed etiam contrarius est præcedenti; cum hæc supponamus capitulum ex transactionibus per summos Pontifices, in forma specifica confirmatis, acquisivisse, & confirmasse jurisdictionem privative quoad Episcopum, non obstante juris communis dispositione: † per quam Canonici, & alij Ecclesiastici

stici supponuntur Episcopali jurisdictioni: *can. cum omnes Basiliens. 16. quest. 7. cap. conquereute, de offic. Ordin. cap. cum Episcopus, eod. tit. lib. 6. & sapius fuit iudicatum per Rotam, ut decis. 525. part. 3. recentior. & alibi passim.*

- 2 Nec novum est, ut capitulo privative competat jurisdiction: nam illam multa capitula ex transactionibus, aut aliis legitimis titulis quæstam habent: ita ut Decani, Canonici & Capitulum, Beneficiati & alij capellani, alique Ecclesiæ inservientes, exempti sint à jurisdictione Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum officialium, quorum causæ debent recognosci & iudicari per unum, aut plures iudices à capitulo deputandos; prout in Ecclesia Bituricensi, Lemovicensi, & Pictaviensi: ut testatur Chopinus de sacra politia, lib. 2. tit. 4. & monastic. lib. 1. capit. ult. & simile jus præstunt plures aliæ Ecclesiæ: ut testatur addit. ad Papon. lib. 1. tit. 3. arrest. 3. pro quibus diversimodè secundum facti circumstantias, & transactionum ac præscriptionum varietatem iudicandum est circa competentiam, vel incompetentiam jurisdictionis.

Utrum autem de iure communi Episcopus solus sine capitulo procedere, & jurisdictionem exercere queat; an verò capituli consensus, vel consilium capere teneatur; disputatum fuit aliàs apud Putteum decis. 91. lib. 3. Sed apud Verall. decis. 202. part. 2. dicitur Episcopum de iure communi sine capitulo causas criminales cognoscere non posse: *can. Episcopus nullus, 15. quest. 7. Mantie. decis. 207. numero 2.* Quidquid sit, ex consuetudine generali, Episcopi, cessante transactione, aut contrario titulo, de omnibus causis soli, & sine capitulo solent cognoscere, ut quotidie fieri videmus: & testatur post Geminianum & Bellameram, Card. Tusc. litter. C. conclus. 259. num. 12.

Unde cum ex antiquis transactionibus capitulum acquisiverit jurisdictionem, & facultatem deputandi iudices, notarios, & officiales; & de causis canonicorum, & illarum personarum dictæ Ecclesiæ privative ad Episcopum cognoscendi in prima instantia: non solum propter personam ipsius Episcopi, & illius favorem, quæ iustam præbebat causam exemptionis ab eius jurisdictione, Achil. de Grassi. decis. 16. de privileg. sed etiam propter ius fundatum in privilegiis, & statutis antiquis; quorum originalia dicebantur fuisse furto sublata à quibusdam Episcopis domesticis: & à summo Pontifice dictæ transactiones fuerant approbatæ & confirmatæ. Tandemque ultimo loco alia transactio accesserat per summum etiam Pontificem confirmata: sequitur non esse de capituli potestate disputandum.

Nam per hanc ultimam transactionem confirmatam, ut supra, conventum fuerat & concordatum inter Episcopum & Capitulum: Quod de cætero dominus Præpositus & Capitulum dictæ Ecclesiæ possent creare & instituere, nomine eiusdem capituli unum Iudicem, Procuratorem, Graffarium & unum servientem pro exercitio iustitiæ in causis civilibus, & pecuniariis; qui inter canonicos, personatus, habituosque dictæ Ecclesiæ, & quoscunque alios, causas contra dictos canonicos & habituos movere volentes, in prima instantia, usque ad appellationem cognoscat, necnon excessus, & delicta prædictarum personarum intra civitatem corrigat, certis in dicta transactione criminibus exceptis; dummodò intra tres menses dicta delicta puniat, & de illis iustitiam faciat, & aliàs prout in dicta transactione plenius continetur. Cum pacto expressio quod omnes & singuli succes-

sores in dicto Episcopatu teneantur in eorum ingressu, & ademptione dignitatis Pontificalis, præstare debitum iuramentum eidem capitulo, de observando dictam compositionem: prout in effectu dictus Dominus Episcopus eandem transactionem tam per se, quàm per Dominos Antistites successores suos in eodem Episcopatu canonicè intrantes, & eo nomine se celebrare dixit, & declaravit. Fuitque dicta transactio postea per summum Pontificem legitimè confirmata, ut sic sine dubio, afficit etiam omnes in dicto Episcopatu successores, iuxta cap. veniens, de transactionibus.

Sequitur non esse dubitandum, quin capitulo jurisdictionis in prima instantia, quoad prædictas causas, privative competat: quia licet in dubio cumulative tantum jurisdictionis concessa censeatur, quando agitur de præiudicando Episcopo, cui ordinaria competitur jurisdictionis: tamen hoc intelligendum est, nisi constet de contraria mente: Coccin. decis. 316. numero 7. alias, cessantibus coniecturis in contrarium, semper concessio est cumulativa: Burat. decis. 912. numero 4. & 5. ubi dicitur hoc procedere, etiam si in concessione adesset dictio taxativa. Gonzal. ad regul. 2. §. 1. proœmiali, num. 30.

Tamen animus concedentis colligitur, tum ex eo quod concessio facta fuit favore certarum personarum, quarum interest alios non habere iudices: Ludovisi. decis. 4. numero 6. tum etiam quia concessio jurisdictionis, non fuit facta à summo Pontifice motu proprio, sed ad partis requisitionem: hoc enim casu, non cumulative, sed privative censetur dari jurisdictionis. Rot. decis. 37. numero 1. part. 1. recent. Trentacini. lib. 1. tit. de jurisdictione, num. 4. addent. ad Ludovisi. d. decis. 4. num. 20. tum & denique, quia Episcopo non reservatur per dictam transactionem jurisdictionis, nisi in duobus capitibus; nempe in secunda instantia, & in casum negligentie sententiarum deutorum à capitulo in prima: exceptio legitur certorum casuum, firmat regulam in aliis, et sunt iura vulgata.

Sed ad omnem tollendam difficultatem, capitulo allegabat antiquam & immemorialem solvantiam privative jurisdictionis, quæ sola sufficeret Rot. decis. 77. numero 5. part. 4. d. vers. & generatim est, ut quando utrumque concurrat, nempe titulus, & possessio immemorialis; jurisdictionis acquiritur censetur privative, & non cumulative: *can. intransfragabili, 8. excessus, de offic. Ordin. & ibi Felini. numero 5. Joan. Baptist. Ferrer. consil. 142. numero 13. Barbof. in l. 1. artic. 4. num. 39. ff. de iudic. Menochi. lib. 2. præsumpt. 18. num. 24. Mantie. in notis terminis decis. 296. num. 1.*

Neque dicta transactio per summum Pontificem confirmata, fuit abrogata per Concilium Tridentinum sess. 25. de reformatione c. 6. & sess. 6. cap. 4. Quia licet ibi sit clausula, Non obstantibus quibuscunque consuetudinibus, conventionibus & juramentis; non tamen per eam sublata censetur transactiones à sede Apostolica confirmatæ: quia illis per quascunque clausulas generales non censetur derogatum. Patet de c. 172. n. 2. lib. 3. Rot. apud Achil. de Grassi. decis. 3. de pact. n. 2. Barbof. ad Concil. Tridentinum sess. 25. de reformatione cap. 20. n. 88. supposito quod concessio & transactiones sint à sede Apostolica confirmatæ ex certa scientia. Gonzal. ad regul. 8. Caraccioli. decis. 14. ubi propterea concludit, capitula Ecclesiæ Burgenfis, & Sagontinensis, & alia similia non libere esse visitationi Episcopi, etiam post Concilium, quia ante illud habebant cum Episcopis deliquit concordias à sede Apostolica, ex certa scientia confirmatas.

matas. Ideo non obstat Concilium Tridentinum disponens, non obstantibus quibuscumque, consuetudinibus, etiam immemorialibus; necnon concordis, & transactionibus, quae suos tantum obligent auctores. Quia talis clausula non comprehendit concordias à sancta sede Apostolica ex certa scientia confirmatas. Ita etiam fuit decisum per Rot. decif. 715. part. 4. divers. ubi concluditur, aliud statuendum esse quando confirmatio fit in forma communi.

6 De potestate Papae nefas esset dubitare: quia nemo negat, quin Papa possit in totum eximere capitulum ab Episcopi jurisdictione: Achill. de Grassi. decif. 15. de prison. Multo magis id facere potuit in casibus per transactiones specificatis, & limitatis.

7 Plus dico, quod si capitulum credens per Concilium Tridentinum fuisse dictis concordis, à sede Apostolica ex certa scientia confirmatis, derogatum, sub hac falsa opinione non fuisset usum praefatis transactionibus, etiam per plures annos, iuribus suis minime praedictis. Gonf. ad regul. 8. gloss. 31. n. 42. & gloss. 25. n. 14. ut per Eminentissimos Cardinales Concilij interpretes fuisse declaratum, testatur Barbof.

8 Quod autem dictae transactionis confirmatio, per summum Pontificem facta fuisset ex certa scientia, constabat ex eo, quod licet totus illius tenor ad longum non fuisset insertus in libris confirmationis; tota tamen illius substantia narrata fuerat: nam dicta littera hoc in effectu continebatur, quod cum aliis, inter Dominum Episcopum, & capitulum fuissent intentatae lites super jurisdictione, & cognitione causarum civilium & criminalium, praetendente capitulo singulis annis duos ex canonicis eligere, qui in canonicos, & alios in dicta Ecclesia habituos, cum omnimoda exemptione ab Episcopi jurisdictione illam exercerent: quod ipsis primò concessum, postea verò per alias litteras ad Episcopum requisitionem fuerat revocatum, tandem processum fuit ad huiusmodi transactionem; videlicet quod de cetero capitulum trium Iudicum seu Officialium, cum uno procuratore, & Notario, deputare posset pro iustitiae exercitio, qui nomine capituli jurisdictionem exercerent; & coram illo iudice omnes causas, tam civiles, quam criminales, per canonicos, habituos & alias personas dictae Ecclesiae inter se, seu per alios contra eos, etiam pro tempore movenda, in prima instantia tractari, & per appellationem ad Episcopum pro tempore existentem, devolui deberent: quodque delinquentes, exceptis tunc expressis casibus, infra semestrem post denunciationem delicti punirentur; alias causa ad Episcopum, seu ejus Officiale devolueretur. Et sic cum summo Pontifici fuisset in effectu expressus totus tenor transactionis, concludendum est illius confirmationem ex certa scientia factam fuisse. Rot. decif. 166. n. 3. part. 5. recent. ubi dicitur, sufficere summo Pontifici, totius facti substantiam fuisse narratam, (post Abbat. in c. quia diversitatem, n. 9. in fine, de concess. preben.) & decif. 338. num. 2. & 339. num. 3. part. 1. recent. ubi post plures DD. concluditur, rescriptum mandans Commissarios de confirmando concordiam, concessum in forma specifica & ex certa scientia, censendum esse, quando summo Pontifici totus tenor transactionis, aut illius substantia narrata fuit.

9 Non tamen fieri debet magnum fundamentum in clausulis confirmationis, veluti in clausula, ex certa scientia, & similibus: quia istae clausulae generales non multum operantur, & admittunt probationem in contrarium. Tusc. liter. C. conclus. 340. n. 28. Barbof. de clausul. cap. 59. num. 41. sed praecipuum fundamentum, ex quo confirmatio ex certa scientia fa-

Tom. I. Pars I.

cta dici potest, desumendum est ab expressione totius substantiae transactionis: ut advertit, & bene quaestione examinat Garc. de benefic. part. 3. cap. 2. n. 230. & seq. † Quidquid sit, cum certa scientia, & determinata ac enixa Papae voluntas, omnia faciat hac in re; sufficit ut illa, quomodocumque concludenter probetur, cum in ejus declaratione non sit data certa forma, quamvis in dubio adsit praesumptio contra eum, qui certam scientiam allegat, quae onus probandi in eum transfert: prout haec bene explicat Sanch. in praecip. decalog. lib. 7. cap. 29. num. 144.

Colligitur etiam alia ratione certa Pontificis scientia, & voluntas ex actu geminatione; cum idem summus Pontifex de lite, quae tunc vertebatur inter Episcopum, & capitulum, bis rescripserit: unde cum postea ex intervallo iterum super eodem negotio rescripserit, & transactionem confirmavit, praesumitur de omnibus informatus, & ex certa scientia ad talem confirmationem processisse. Tusc. liter. C. conclus. 341. n. 10. † cum etiam in rescripto confirmationis facta fuerit expressa mentio litis pendens, ex quo resultat praesumptio certae scientiae Pontificis confirmantis. Tusc. d. conclus. 341. n. 11. Maxime quia summus Pontifex, praevia illius litis evocatione, processit ad confirmationem, cum sufficiat quomodocumque probari scientiam, & voluntatem confirmantis. Tusc. ibidem, num. 12. Sanch. loco proxime citato, Rot. decif. 166. num. 6. part. 5. recent. ubi sufficit, quod voluntas Papae ex praecedentibus, & sequentibus eliciatur. Imò certam scientiam summi Pontificis confirmantis, etiam per testes probari posse, determinat Rota decif. 210. numero 2. in fin. part. 1. recent.

Multo autem facilius hoc in casu admittenda est certa scientiae probatio; cum non agatur de confirmatione plurium rerum in genere, sicut quando tractatur de confirmandis statutis; tunc enim non ita facile existimandum est, summum Pontificem illorum omnium certam, & specificam habuisse notitiam. Aliud dicendum est quando agitur de confirmatione rei particularis, veluti unius concordiae circa certam litem: quia in actu individuo, & in particulari, magis praesumitur certa scientia, quam dum disponens se refert ad plures actus: prout explicat Aretin. consil. 8. numero 6. quem sequitur Tusc. liter. C. conclus. 708. numero 14.

Et cum Papa Commissarios deputaverit, mandans illis ut postquam de dicta concordia legitime constiterit, & prout in ea continetur; omnia & singula in ea contenta approbent, & observari mandent; satis dicitur habuisse plenam omnium notitiam, cum illam habuerit per commissarios ab ipso deputatos. Rot. decif. 192. numero 3. part. 1. recent. Tusc. d. conclus. 341. numero 2.

Negandum tamen non est, quin Episcopus per viam visitationis, & correctionis morum procedere possit contra capitulares, & alios ejusdem capituli habituos: tum quia hoc non fuit sublatum per transactionem: tum etiam, quia ex Concilij Tridentinae dispositione derogatum est omnibus conventionibus, & consuetudinibus, etiam immemorialibus à sede Apostolica ex certa scientia non confirmatis. Rot. decif. 61. num. 2. part. 1. recent. Non enim potest dici quod Papa per suam confirmationem voluerit plus concedere partibus, quam peteretur, vel in transactione confirmata contineretur. Alioquin si id Papa nominatim expressisset, non videretur per Concilium huic expressae confirmationi derogatum: ut supra diximus, num. 5. sed de hoc nihil in transactione: ergo nec in confirmatione il-

lius

98 Petri Francisci de Tonduti Sanlegerij,

- 16 lius. † Non tamen sub prætextu visitationis, poterit Episcopus procedere in forma iudicii, nec processum formare, nisi data capituli officialium negligentia iuxta formam transactionis. Rot. decis. 168. part. 1. recent.
- 17 Quod autem attinet ad capitula jurisdictione carentia, certum est illis nihilominus competere ius corrigendi, & castigandi, seu coercendi personas in Ecclesia sua habitatas; veluti per subtractionem fructuum, & distributionum, seu vocis in capitulo ad tempus; quod habet in se quandam jurisdictionis speciem. Abbas in cap. cum contingat, colum. 3. numero 28. de for. competent. & habetur in pragmat. functione, tit. de concubinariis, §. quod si hi ad quos, in verb. pertinet, & notatur in cap. quanto, de offic. Ordinarii, & dixi cap. precedenti, numero 10.
- 18 Quia verò pro parte ejusdem capituli quaesitum fuit, an & quando Episcopus possit congregare capitulum, & quam in eo auctoritatem habeat? Respondum fuit, posse Episcopum convocare capitulum in loco capitulari consueto, canonicorum vota exquirere, & collectis votis conclusionem elicere; exceptis tamen casibus, in quibus de ejus, aut suorum interesse agitur: ut notat Barbof. de Episcop. part. 3. allegat. 73. numero 16.
- 19 Intellige ut capitulum convocare possit Episcopus in casibus, in quibus iudex esse potest; secus in aliis, in quibus iudex esse nequit: ut ibidem Barbof. testatur d. allegat. 73. numero 18. & ad Concil. Trident. sess. 25. cap. 6. numero 42. & seq. In quo capitulo vocem non habebit Episcopus, ut probatur ex verbis Concilii, vota exquirat. Barbof. dist. 20 sess. 25. cap. 6. num. 47.



CAPUT LXIII.

Utrum confratres capellæ intra limites parochiæ noviter erectæ, possint petere se manuteneri in quasi possessione usus campanarum adversus Parochum prohibentem. Et ad quem spectent oblationes quæ fiunt in illa capella. De custodia clavis Ecclesiæ Divo Petro consecratæ, & elemosynæ quæ datur ob applicationem ferri candentis, iis qui laborant morfu canis rabidi. Et utrum nova capella possit ædificari in præjudicium Ecclesiæ parochialis. Et in quo consistent jura parochialia, tam circa sepulturas, quam alia: ad explicationem clausulæ, *salvâ justitiâ Ecclesiæ Parochialis.*

SUMMARIUM.

- 1 Cura campanarum Ecclesiæ pertinet ad officium custodis.
- 2 Confraternitas, quæ est in quasi possessione usus campanarum, potest petere se in ea manuteneri.
- 3 Quando agitur de cultu divino, non potest dici materia facultativa.
- 4 Pulsatio campanarum permittitur confraternita-

- tibus in eorum capellis, sine præjudicio fratrij Ecclesiæ parochialis.
- 5 Pulsatio campanarum spectat ad inferiores clericos.
- 6 Non est permittenda laicis pulsatio campanarum sine licentia custodis Ecclesiæ, vel presbyteri parochialis.
- 7 Pulsans campanas sine licentia presbyterorum, dat operam rei illicitæ; idcirco si sequatur homicidium, tenetur. Fallit stante consuetudine in contrarium.
- 8 Oblationes spectant ad Parochum, non ad Rectorem capellæ: distingue ut ibi.
- 9 Ex perceptione oblationum arguitur curam ad eum, qui illas percipit, spectare.
- 10 Elemosina, quæ datur ob applicationem clavis Ecclesiæ ad curandos canum morsus, pertinet ad Parochum: & de hac clavis applicanda consuetudine.
- 11 Administratio oblationum ad certum usum statarum pertinet ad Parochum.
- 12 Custodia clavium Ecclesiæ non spectat ad laicos.
- 13 Ostiarii ordo sacer est, & ad eum pertinet custodia clavium Ecclesiæ: & alia, de quibus ibi.
- 14 Per traditionem clavium ostiario factam imputatur character, secundum Canonistas, contra Theologos.
- 15 Indignum est laicos munus exercere, quod Christus ipse exercere voluit, dum dixit, Attolite portas, &c.
- 16 Nova capella sine Episcopi licentia nequit ædificari.
- 17 Ecclesiæ parochialis potest nuncupare novam vel ædificanti capellam, intra limites suæ parochiæ.
- 18 Cum quibus moderationibus, & conditionibus concedi possit facultas novam capellam, vel Ecclesiæ intra limites parochiæ erigendi. Et quæ sit vis, & effectus clausulæ, *salva justitiâ Ecclesiæ parochialis.*
- 19 In quo consistent jura parochialia.
- 20 Jura parochiæ primo consistunt in eo, quod debet diebus festis Missam audiat in sua parochia: sed hoc est de consilio, non de præcepto.
- 21 Secundò, ut parochiani sacramenta ab Ecclesiâ parochiali recipiant.
- 22 Tertiò, ut ius sepeliendi competat parochiæ, nisi sepultura fuerit in alia Ecclesiâ electa, vel alibi sit sepulchrum majorem.
- 23 Quartò, ius quartæ funeralis competat parochiæ, quæ in hoc habet intentionem fundatam.
- 24 Quintò in jure decimarum.
- 25 Sextò in jure percipiendi oblationes, & alias spirituales obventiones.
- 26 Utrum Ecclesiæ parochialis possit facere officium in aliena Ecclesiâ, ad quam corpora defunctorum portantur tempore funeris? Refertur sententia Rota, quod parochia non possit ibidem officium facere; sed hoc spectat ad illam Ecclesiâ, quæ corpus sepelitur.
- 27 Parochi non possunt cogere ut officia necentur, & finis anni, pro mortuis fiat in eorum Ecclesiâ: quando corpus sepultum est in alia Ecclesiâ.

Prior quidam & Parochus cupiens evitare præjudicium, quod juribus suis inferrebat per erectionem confraternitatis, & capellæ noviter erectæ intra limites suæ parochiæ, varias populi difficultates, quarum resolutio ex sequentiis conclusionibus elicitur.